

Nam si quis hoc regimen observaret à natiuitate, viveret quantum natura assumpta à parentibus permetteret. & duceretur ad ultimum terminum naturæ [ lapsæ ab originali iustitia ] quem tamen præterire non posset: quia hoc regimen non confert, aut modicum, contra corruptionem antiquam parentum. Sed quasi impossibile est, quod homo sic regatur in omni mediocritate istorum, sicut exigie regimen sanitatis. & ideo oportet, quod abbreviatio vitæ contingat ex hac causa, non solum ex corruptione parentum. Ars verò medicinæ determinat hoc regimen sufficienter. Sed nec dives, nec pauper, nec sapiens, nec insipiens, nec ipsi medici quantumcunque perfecti, possunt hoc regimen in se, nec in aliis perficere, ut patet cuilibet. \* Sed natura non deficit in necessarijs, nec ars completa: immò valet resurgere & irrumperere contra accidentales passionem, ut in parte vel in toto deleantur. Et in principio quando inceperat ætas hominum declinare, facile fuisset remedium; sed nunc à quinque millibus annis & plus, difficile est remedium apponere. Sapientes tamen moti considerationibus prædictis, nisi sunt vias excogitare, non solum contra defectum proprii regiminis cuiuslibet, sed contra corruptionem parentum: non quod reducatur homo ad vitam Adæ, vel Aristoteli propter corruptionem invalescentem: sed ut per centenarium annorum, vel plures vita prolongetur ultra communem ætatem hominum nunc viventium; quatenus passionem senectutis retardarentur, & si omnino prohiberi non possunt, mitigarentur: ut ultra communem æstimationem hominum vita prolongetur utiliter: semper tamen citra ultimum terminum naturæ. Nam terminus naturæ est ultimus, qui in primis hominibus positus est post peccatum: & alius est terminus cuiuslibet ex propria parentum corruptione. Ultra istos ambos non contingit transire: sed bene terminum propriæ corruptionis. Nec tamen usq; ad terminum primum credo quod aliquis quantumcunque sapiens est his temporibus posset attingere, licet possibilitas sit, & aptitudo naturæ humanæ ad illum terminum qui fuit in primis hominibus. Nec mirum est quum aptitudo ista se extendat ad immortalitatem, sicut ante peccatum fuit, & erit post resurrectionem. Sed si tu dicas quod nec Aristoteles, nec Plato, nec Hippocrates, nec Galenus, ad huiusmodi prolongationem pervenerunt: respondeo tibi, quod nec ad multas veritates mediocres, quæ

Defuit in  
alio ex-  
emplo.

Natura non  
facile ob-  
vrat.

Hipp. & Gal.  
multa fuerunt  
in arguta.